

BIBLIOTHEC • ANNABERGENS •

D:  
AUTOR.

Universitätsbibliothek  
Dresden

679

V. u. H.  

---

81<sup>b</sup>

DIFFERENTIAS,

22

QVÆ

IN AVSONII POPMÆ DE DIFFERENTIIS  
VERBORVM LIBRIS OMISSÆ SVNT,

QVASDAM EXPONIT

---

SIMVLQVE

VENERANDOS SCHOLÆ ANNÆBERGENSIS

INSPECTORES

ET

FAVTORES RELIQVOS CVIVSCVNQVE  
ORDINIS ET DIGNITATIS,

AD

ORATIONES QVASDAM SCHOLASTICAS

D. IX. OCTOBR. A. R. S. M DCC L.

BENEVOLE AVDIENDAS,

PERAMANTER ET OFFICIOSE INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS.

RECT.

---

ANNÆBERGÆ,

EXCVDIT AVGVSTVS VALENTINVS FRIESE.

921

DIFFERENTIIS

QVAE

IN AVSONII FORMAE DE DIFFERENTIIS  
VERBORVM LIBRIS OMISSAE SVNT,

QVAS DAM EXRONIT

AVSONII QVAE

VENETANDOS SCHOLAE ANNABERGENSIS

INSTRUMENTA

ET

FACTORES RELIGIOSOS CIVISCVINOVAE  
ORDINIS ET DIGNITATIS

ORATIONES QVAS DAM SCHOLASTICAS

D. M. OCTOBR. A. R. S. M. DCC. L.

HENRICO ADIUDICIS

REMANENTIBUS ET ORTHODOXIS INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS

RECIT.

ANNABERGAE

EXCVBIT AVGVSTVS VALZENTIVS TRIEBS.

**A**d interiorem, quæ sanctior est, latinæ linguæ istam cognitionem, in quo semper solertissimorum virorum labor diligentissime felicissimeque versatur, illud præsertim pertinet, ut verborum omnium veram vim, notionem, naturam & indolem, quaque differentia ac proprietate, quæ generatim eadem appellant, in notione, ut ita dicam, accidentali distare solent, styli Magister in primis cognoscat, obseruet, diligentissimeque auditoribus explicet. Aureus itaque esto AVSONII POPMÆ *de differentiis verborum libellus*, ante nouem, & quod excurrit, annos a nobis insigniter auctus. Sed quia multæ differentiæ adhuc supersunt, quæ inserantur, propterea non paruum meruisse laudem videntur isti, qui virorum clarissimorum obseruationes, verba a verbis distinguentes, præter sua, quæ meditati sunt, hinc inde colligunt, suaque diligentia dignas emittunt. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam scholasticam, quam dicunt, ingredi cogitant, tum haud scio, an nemini potius, quam scholarum magistris; auditoribus enim vocum differentias diligenter ut exponant, munere suo præclare funguntur. Licebit igitur nobis & nunc partem quandam *differentiarum*, quas colligere adhuc licuit, libuit, breuiter exponere, quæ insequentes sunt.

*Accumbere*, est cum alio iacere, cibi capiendi gratia, *Discumbere* mihi videntur multi cum aliis hinc illinc accumbentes, *Concumbere* vero est venereis operam dare. Cic. Verr. 3. *mature veniunt, discumbitur*, quod mihi videtur, *cum aliis hinc illinc accumbunt*.

*Album* caret splendore, *candens* vero ita album est, ut etiam splendeat.

*Angiportus* vel *Angiportum* significat vicum angustum & flexuosum, vel peruium, vel non peruium. Terent. in Adelph. 4. 2. 39. *id quidem angiportum non est peruium*. *Vicus*, a via, est ampla platea. Cic. ad Famil. 14. 1. & in Orat. pro Milone cap. 24. *Fundula* est platea in oppido, quæ introitum quidem habet, sed nullum exitum, atque adeo non peruia est, germ. ein

*Sack*, *Loch*. Varr. de L. L. 4. 32.

*Ars*, quæ collectione præceptorum constat, ut grammatica & rhetorica, *Doctrina* vero exemplis & institutionibus perficitur, ut doctrina Philosophiæ & legum. Cic. in Epist. ad Famil. lib. IV. Epist. 4. *nam & si a primæ ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maxime Philosophiæ delectauit*.

*Asperum* lædit, *Lene* demulcet. Virg. Georg. 4. 277. sapor asper. *Lene* in tactu proprie dicitur, cuius contrarium est *Asperum*. Sed per translationem *Lene* in gustu, quod suaue est, appellatur, & transfertur etiam ad animum, ut mitem dicamus *lenem*. Cic. in Verr. 3. 32. *lenissimus homo & natura & consuetudine & disciplina*.

*Auiaria*, in quibus aues sunt, *Auia* sine via. Land.

*Casaries* in viris est, quoniam cædatur, *Coma autem*, quod græcum est, sunt

sunt

sunt capilli cum cura compositi, & proprie in mulieribus dicuntur. Land.  
*Calceus* est genus, *caligæ* & *perones* autem species, hæ enim rusticorum,  
illæ militum sunt.

*Causa tua* & *tui causa* differunt. Tunc enim *tua causa* dicimus, quan-  
do ad tuam, vt ita loquar, petitionem aliquid alteri quis contulerit, vel boni vel  
mali, verum *tui causa*, quando aliquid tibi præstiterit, cum quo loquitur.

*Collis* minor minusque altus, quam mons, *Montes* altissima & excelsis-  
sima loca dicimus. Land.

*Comes* sequendo aliquem se maiorem concomitatur, *Dux* vero se mino-  
rem. Sic Cicer. *non comitem, sed ducem se præbuit.*

*Compedes* dicimus, quibus pedes, *manicas*, quibus manus colligantur.  
Plaut. *Afin.* 2. 2. 38. *ubi manus manica complexæ sunt, atque adductæ ad trabem.*

*Confessores* appellabantur, qui propter fidei confessionem carceribus in-  
clusi fuerant, sed cruciatus aut tormenta nulla sustinuerant hætenus. *Mar-*  
*tyres* autem dicebantur, non ii solum, qui mortem pro Christo obierant, sed  
etiam qui sæuitiam tormentorum & cruciatus fortiter pertulerant, & in vita  
remanferant. *Vid. Conr. Hornei Histor. Eccles. l. 3. c. 5. §. 26.*

*Cubare* proprie est, cum morbi causa iacemus, *Horat. Epist. 2. 2. 68. cu-*  
*bat hic in colle Quirini.* *Incubare* vero dicuntur aues, cum oua pullosue fo-  
uent. *Oua, quæ incubantur.* Varro de Re Rust. 3. 9.

*Curriculum* in certamine dicunt, quod a carceribus ad calcem vsque curri-  
tur. *Horat. Od. l. 1. 1. 3. sunt quos curriculo puluerem Olympicum collegisse iuuat.*

*Cursus* autem est actus currendi. *Omnis omnium cursus* est ad nos. Cic.

*Cutem* in homine solo dicimus, *Pellem* vero in brutis. *Virg. fulua pellis leonis.*

*Deducuntur* naues de terra in mare, de mari *subducuntur* in terram. *Virgil,*  
*Æneid. 1. 551.*

*Designator* est, qui loca publica ordine distribuerit in spectaculis, inter ho-  
noratos publico ministerio, *Locarius*, qui popularia loca promiscue occuparit,  
quæ serius venientibus pretio locarit in suum commodum.

*Discolor* & *Decolor* ita inter se differunt, *Discolor* dicitur, quod colore est  
diuerso & dissimili, *Decolor* vero, quod colore est vitiato, vel sine colore.

*Dum* & *donec* elegantia differunt. Nam *ne, non, nec,* commode iun-  
guntur cum *dum*, nunquam cum *donec.* *Dum* & *donec,* vsque, ad, vel quam-  
diu & *donec* Subiunctiuo, *dum* indicatiuo conueniunt.

*Error* est, cum casu quispiam decipitur, & aliud pro alio accipitur, *Culpa*  
vero, quum ob negligentiam quispiam peccat. Sic Cic. *Epist. lib. 10. Cre-*  
*dulit s enim error est magis, quam culpa.*

*Fabula* est res ficta, nec verisimilis quidem, significat etiam fabula rem ve-  
hementer diuulgatam, quamuis etiam nonnunquam vera sit. Sic *Iuuenal. It noua*  
*nec tristis per cunctas fabula cænas.* Et *Ouid. Hæc*

*Hæc fuit in toto notissima fabula celo.*

*Apologus* non differt a fabula, sed addit, vt præter id, quod fabula sit res ficta & non verifimilis, allegorice tamen aliquid contineat, quod ad vitam & ad mores pertineat, vt sunt *Æsopi* fabulæ. *Argumentum* est res, non vera, sed verifimilis, vt sunt argumenta *Comœdiarum*. *Fabulosum* est proprie, de quo omnes fantur. Land, in Horat.

*Conqueri* & *Lamentari* differunt, quod *conquerendo*, quæ res sit, quæ nos affligat, explicare solemus, *Lamentantur* vero, si voce querula & tristi oratione cladem suam testantur. Cic. enim dicit Tusc. Quæst. 2. *conqueri* fortunam aduersam, non *lamentari*, decet. *Plangebant*, quum pro nimio dolore pectus caputue, aut aliud membrum percutiebant. *Eiulare*, elata voce flere demonstrat, & quod maxime est mulierum. *Vociferari* est nonnunquam vehementer clamare, & *vociferantes* non modo dolorem, verum etiam indignationem voce effrenata demonstrabant.

*Fraxinus* in siluis, pulcherrima *pinus* in hortis, *Populus* in fluuiis, *abies* in montibus altis, Virgil.

*Furta* dicuntur, quæ occulte fiunt, *Rapinae* quæ per vim. Cic. Epist. ad Famil. l. 10. *Sed præter furta & rapinas & virgis casos socios.*

*Gignere* significat de substantia aliquid producere, simile secundum causam. *Creare* significat ex nihilo aliquid fabricare, diuersum a substantia creantis. Chemnic. Loc. 4. c. 1.

*Gratificari* plus est, quam *rem gratam facere*. *Gratificamur* enim, quod si beneficia conferimus, *facimus* vero *rem gratam*, cum obsequimur & inferuimus, vnde Deos hominibus *gratificari*, dicimus, *gratum* vero *facere* non dicimus.

*Hospitium* est domus, quæ gratis venientibus hospitibus patet. *Hospites* proprie dicuntur amici diuersarum patriarum, qui se mutuo recipiunt, cum alter in alterius patria peregrinus est, talisque amicitia *Hospitalitas* appellatur, *Hospitalia* vocantur ædes, quæ publice parantur ad recipiendos egenos.

*Imbres* impetuoosi sunt, *Pluuiæ* vero lentæ.

*Infector* colorem mutat, *offector* officio obest. Corn. Front.

*Insomnium* dicimus, cum ex humorum peccato vel ex nimia cupiditate vel metu talia dormientibus nobis se offerunt, qualia aut humorum est natura, vt cum ex vndantia bilis igneæ purpureæue imagines sese ingerunt, aut talia videmus sopiti, qualia cupiebamus timebamusue. *Phantasma* est, quod Cicero *visum* appellat, quando in prima somni nebula, cum adhuc vigilare credimus, & vix dormire cœperimus, videmus varias quidem, sed omnes a natura discrepantes species formasque irruentes, inter has, quem latini dicunt, *incubus* est, & quem vulgaris opinio dormientes inuadere & suo pondere oppressos

pressos grauare credit. *Oraculum*, cum dormientibus Deus vel aliqua s. perso-  
na loqui & apte futura prædicere creditur, dicebatur. *Visio* vero est, cum  
in dormiendo non audire, sed videre quippiam videmur, quod vigilantibus  
ita eueniat, vt dormientes vidimus. *Somnium* autem est, quod ambagibus  
velaminibusque tegit id, quod sine interpretatione non intelligitur. Land,  
in Horat.

*Interlunium* id dicitur spatium temporis, in quo nec amplius luna vetus ad-  
paret, nec adhuc noua videtur: *Interlumina* dicimus spatium, quod inter colum-  
nas relinquitur.

*Legare* significat aliquem pro causis seu rebus publicis magnisque mittere,  
*ablegare*, in exilium eiicere, aut e conspectu remouere. *Allegare* in legatio-  
nem aliquem rogatum pro causis seu rebus priuatis mittere.

*Lingere* est, cum aliquid suauiter tangimus, Plaut. Casin. 2. 8. 21, *lingere  
mel*. *Lambit*, qui placide tangit, Columell. 8. 17. *lambere cibos*.

*Litabant* tantum boni, *sacrificabant* etiam mali.

*Ludere* in re, *iocari* in verbis.

*Miscebat* pocula minister, quoniam aquam addebat mero, proptereaque iam  
adiuncta aqua mixtum appellabatur. Hoc ergo a ministro ei, qui dignior erat,  
dabatur. Hic autem, quum acceperit partemque biberit, eligit, cui secundo  
deinde porrigat, & hinc prior *Propinare* dicebatur.

*Morosus* in vitium declinat; *Moratus* autem bonis moribus imbutus dici-  
tur. Hinc Plautus: *dummodo MORATA, dotata est satis*.

*Mulus* ex equa & asino gignitur, Plin. H. N. 8. 44. *Hinnus* ex equo &  
asina ortum veteres dixerunt. Varro de re rustica 2. 8.

*Munimentum*, a muniendo, dicimus, quidquid vallo, fossa, aggere, mu-  
rorum aut lignorum strue, & alia huiusmodi re contra hostium aduentum mu-  
nitum est. *Monumentum* vero, per *o* & *u* scriptum, quicquid in mortuorum me-  
moriæ factum est, a monendo deductum, quod præsentis moneat præterita-  
rum rerum.

*Non est, quod*, excludit necessitatem, *non est, vt*, excludit possibilitatem,  
Lucret. lib. II. de rerum nat. *Quare non est, vt* credere possis esse infinitis di-  
stantia somnia formis.

*Non* negat solum, *ne* & *neque* negant & copulant, significantque *et non*.

*Obsecro* & *refecro* differunt. Si quis antiquitus *Obsecro* dixerat, eum, quem  
alloquebatur obstringere quodam sacramento & iureiurando videbatur, & si ea  
persona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia libere in vtramque partem esse  
vellet, vt eam religione solueret, subiiebat *Refecro*, quo verbo obsecrationem  
soluebat. Etiam qui obsecrabatur, ne religione ea obligaretur, *Refecro* dicere  
solebat, Plaut. Aul. act. 4. 7. Pers. act. 1. 1.

*Obuat-*



*Obuallare* verbo *circumuallare* contrarium videtur. *Obuallare* enim dicitur de iis, qui intus sunt, & tanquam oppidum defendunt. Cic. de Lege Agr. & eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum, atque omni ratione **OBVALLATVM** tenebat, me duce, rescidistis.

*Oscinis* est volucris, qui voce & ore dat augurium, nam volucres, ex quibus capitur augurium, aut dicuntur *oscines*, qui ore canant, aut *Præpetes*, i. e. volantes, qui volatu dent augurium. Cic. Epist. ad Famil. lib. 6. *Non igitur ex alitis volatu, nec ex cantu sinistro OSCINIS.*

*Pædagogi* nil nisi alleclæ erant, & vt puerorum progressus, actiones, mores obseruarent aut formarent. At *Præceptores* docebant, & artes scientiasque infundebant.

*Præfens* in omnibus Imperatiuis, vt *videte*, imperat, *futurum*, vt *videtote*, mandat. Corn. Front.

*Prudentia* est recta ratio rerum agendarum, *sapientia* autem est rerum humanarum & diuinarum scientia, hæc Deo etiam, illa homini competit.

*Purpureum* dicimus, quod totum ex purpura, *Purpuratum*, quod purpura ornatum est.

*Quare, quapropter, quamobrem*, in maioribus sane conclusionibus, *ergo* & *igitur* in minoribus vti solemus.

*Quoque* & *etiam* bene iunguntur, quoniam diuersa significant. Nam *quoque* est similiter, *etiam* aliquando adhuc significat. Terent. *Nihil ETIAM suspicans mali.* Et Virgil. *Idemque ETIAM.*

*Reconciliamus* veteres, *conciliamus* novos, Cic. pro *reconciliata* gratia.

*Scyphi* proprie pocula Herculis, vnde *scyphus* Herculanus, *Cantbari* Bacchi erant, Val. Max. 3. 6. 6. *Cululli* sunt calices fictiles, quibus in sacris pontifices utebantur. Acron.

*Scopulus* & *Pumex* ita diuiduntur, vt ait Landinus, mare tempestuosum in *scopulis* eliditur, itaque ingentia sunt saxa maris. *Pumex* autem lapis leuis & cauernosus est, quem credunt ex spuma marina gigni.

*Scribere* est etiam ex ingenio facere, *exarare* vero tantum figuras litterarum facere.

*Securus* differt a *tuto*, vt *securus* is sit, qui non timet, etiam si imminet periculum. *Tutus* vero, qui extra periculum, quamuis etiam timeat.

*Sequimur* amici, *Prosequimur* comitantes, *Assequimur* cum coæquamur iis, qui hactenus procedebant. Land.

*Taciturnitas* est cum ratione, Terent. sed his, quas semper in te intellexi stas, fide & *taciturnitate*. *Silentium* autem potest esse sine ratione.

*Transilio* plus est, quam *Transseo*. *Transimus* enim etiam lento passu, *transilimus* autem saltu, nam est *ex trans* & *salio*,

*Turbi-*

*Turbidum* ex tempestate, *turgidum* ex fluctibus. Land.  
*Vituli* dicuntur in boue & elephanto, *Agni* ex oue, & capris *Hedi*, Land.  
in Horat.

*Vituperare* & *Increpare*, vt antecedens & consequens differunt. *Vituperamus* enim ea, quæ grauiter ferimus. *Increpare* autem est dictum a crepitu sonituque verborum, nam reprehendentis est, *crepitum sonitumque* in voce adhibere.

His itaque differentiis expositis, aliæ adsunt differentie litterarum, quibus aliquot bonæ spei iuuenes certare &, dicendo quid possint, periclitari cupiunt.  
Nono enim mensis Octobris die, nona ante meridiem hora

I. IO. ERNEST. AVGVST. BAVERVS, *Geithan.* Carmine latino, in quo pangendo non infelix est, de schola, quæ cum vinea comparanda sit, pronuntiato, de bonitate scholarum, quæ in concordia Præceptorum esse solet, gallica oratione breuiter dicet, vernaculoque carmine tum gratias aget, quoniam scholæ Alumnus fuit, cum his, a quibus abit, fausta apprecabitur, Iuuenis ingenio, industria ac doctrina florentissimus, qui pietatis, obedientiæ ac diligentie profus inusitata, quamdiu nobiscum versatus est, quatuor autem annos nobiscum versatus est, commendatione floruit.

II. IO. CHRIST. HENR. WINDISCHIVS, *Annebergens.* De eo, quid scholæ publicæ, de Præceptoribus publice vocatis, priuatis præstent, græco ore loquetur.

III. CARL. FRIDER. POLSTERVS, *Scheibenbergens.* Naturam plus valere ad virtutem & laudem sine doctrina, quam doctrina sine natura, carmine germanico euincet.

IV. IO. FRIDER. GIESSE, *Annebergens.* Valedictio scholastica quam utilis & honesta sit, oratione latina demonstrabit.

V. CHRISTIAN. HENR. VALERIVS ZEIS, *Schlettauiens.* abiturienti nostro, breui non nostro, Bauero faustos viales & res secundas apprecaturus, carmine vernaculo Candidatum tandem mature fatis ad Academiarum spatia abeuntem depinget.

VI. IO. GVILLEM. BIEDERMANNVS, *Annebergens.* quid litterarum studia in iuuentute, ætate virili, & in senectute demum valent, orat. latin. explicabit.

Vos itaque PATRONI & FAVTORES, vt lubenti animo frequentes conuenire, actumque nostrum huncque scholasticum vestra honorifica præsentia, nostros ad præclara semper maioraque excitaturi, illustrare velitis, qua fieri potest, contentione rogo & oro. Vestram enim animi benigni hanc significationem aucupamur, quæ nobis cordi est, quam magni faciemus. Scr.

d. 7. Octobr. M. DCC. L.

\* \* \*

05 81

10  
33  
37  
39  
40  
42  
43  
44

28.03.90  
06.20.06

3A 5085 (R.S.)

berlich  
371X11103

